

BERNUVARTVS EPISCOPVS VVIR TZBURGENSIS.



Bernuwartus ex illustri familia Comitū de Rotenburg ad fluuium Tauberim natus est. Is cū fœlici ingenio esset prædictus, à parentib. suis Gerperto uiro doctissimo instituendus traditur. Gerpertus ille postea pōtifex electus Sylvestri secundi nomen habuit. Cum sub eo optimè profecisset, postea ad Hirsauensem monasterium mittitur, ut et ibi optimis disciplinis incumbere, atq; sacræ scripturæ operam daret. Erant enim eo tempore ibi dem uiri clarissimi, ita ut ingeniosa iuuentus tanquam in celeberrima schola ab ijs institueretur. Sub ijs ergo magna diligentia sacris & profanis litteris incubuit, atq; eruditione & pietate suos cōmilitones facile superauit.